



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatus Practicus De Casibus Summo Pontifici, Episcopis, Et Praelatis Religionum Reservatis**

**Kiene, Johann Georg**

**Constantiae, 1629**

7. & 8. Explicatio Constitutionis Pauli III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42214**

& pænis Ecclesiasticis (exceptis  
iis quæ in Bulla Cænæ conti-  
nentur) potestatem absoluendi at-  
que eis pro commissis pæniten-  
tiam salutarem iniungendi.

VII. Nota. 1. quoscunq; fide-  
les, sæculares, Clericos Regulares  
(nisi fortè per speciales Constitu-  
tiones à Sede Apostolica adproba-  
tas impediuntur) tam ex sua quàm  
alia Prouincia, vbi pro tempore  
expositi sunt, & quasi secum de-  
ferunt potestatem istam, qua & vti  
possunt vbique, si nimirum Episcopi  
adprobatio præcesserit. Imo per  
priuilegium Gregorii 13. in Const. Ad  
*perpetuam rei memoriam*. Concedi-  
tur adprobato priuilegiato in Epi-  
scopatu v. g. Constantiensi, dum  
per Augustanum iter facit, facul-  
tas audiendi confessiones, obten-  
tâ prius, aut saltem petità, si com-  
modè peti queat, licentiâ ab Ord-  
nario, aut nõ repugnantibus Rec-  
toribus

toribus Porochiarum 2. à quibus-  
cunque culpis etiam Sedi Apòsto-  
licæ referuatis, quare si casus seu  
excommunicationes Sum. Ponti-  
fici referuati expræfato priuilegio  
tollì possunt, quantò magis casus  
Episcopo referuati, vti patet ex  
lit. etiam, non limitationis, sed cau-  
sâ extensionis adiecta.

VIII. Nota 3. à quibusuis sen-  
tentiis tam à iure, quàm ab homi-  
ne generaliter aut specialiter (si  
specialem facultatem ad id à suo  
Superiore obtinuerit) latis absol-  
uere, si nimirum reus sit paratus  
læsæ parti, vel Ecclesiæ facere sa-  
tis, aut iusta aliqua causa exigat,  
nec graue scandalum iudicis se-  
quatur, neque absolutio indiget  
aliqua solemnitate 4. à Censuris,  
id est, à quacunq; excommunica-  
tione, suspensione & interdicto,  
*iuxta Cap. Querenti. de sent. excom.*  
*& moderationem Con. Trid. atq; ista-*

rum absolutio non indiget aliqua  
solemnitate & cæremoniâ iuris,  
sed simpliciter concedi potest ex  
priuilegio Leonis. 10. teste Suar. n. 23.  
5. à pænis Ecclesiasticis spiritali-  
bus nimirû non merè temporali-  
bus, aut corporalibus, nec medici-  
nalibus, sed vindicatiuis, quæ sunt  
impositæ à Canone, vel iudice Ec-  
clesiastico, & voluntariè sunt susti-  
nendæ secundû conscientiæ obli-  
gationē, quæq; ex vi sententiæ per  
quâ imponuntur, non habent posi-  
tiuam perpetuitatē, aut definitam  
durationē, sed ab illis pænis libe-  
rare potest, quæ pendēt ab arbitrio  
iudicis, sic mulcta pecuniaria, aut  
quæuis alia pæna quâ reus volun-  
tariè non suscipit, sed pati debet,  
excluditur. *Vide plura apud Suar. t. 4.  
de Statu Religionis l. 9. c. 2.* qua faculta-  
te, teste Roderico, securè vti possunt  
cõmunicantes Ordines, & præser-  
tim S. Ordinis Canonorum Præ-  
mon-

monstratensium, Sueuica Prouincia  
ex iure nouo & amplissimo indul-  
to S. D. N. Papæ Urbani 8.

IX. Quæres an absolutio à Cen-  
suris intra, vel extra Confessionē  
Sacramentalē debeat impendi? R.  
1. tutius esse eam ab inferioribus  
confessoribus dependēter à Sacra-  
mentali Confessione cōferri, iuxta  
cōmunē & vulgare Bullarū tenorē:  
vti nimirū pænitentium Confessio-  
nibus diligenter auditis à crimini-  
bus & censuris absoluantur. R. 2.  
non carere probabilitate etiā posse  
absolutiōis beneficiū in foro exte-  
riori concedi, quod priuilegii verba  
æquē Cōfessiōi & absolutiōi exte-  
riori queāt accomodari, quā Sacra-  
mentali. Hinc fit vt absolues à Cen-  
sura ex delicto graui cōtractâ, non  
possit pænâ duntaxat Sacramen-  
talē iniungere, sed etiā instar iudicis  
in foro cōtentioso pænitentī pænâ  
in contumaciæ vindictâ aduersus